

Planta radiis ex omnibus affinibus maximis involucrum longe superantibus, antheris violaceis, caule tenui simplici, indumento adpressissime araneoso-cano fere (praecipue ad nervum) nitenti decora. Indumento non puberulo, stolonibus longis tenuibus repentibus fibras tenues simulque napulos cylindricos edenti, foliis angustis nullis vel summis tantum breviter decurrentibus, phyllis viridi-herbaceis, caule tenui simplici ab omnibus hujus affinitatis bene dignoscenda. Colorem corollarum ubique vidi solum flavescentem. *C. nyssana* Petrov. (Fl. Nyss. pag. 110) serbica nostrae proxima est, differt tamen foliis subcoriaceis angustissime fere setaceo-linearibus supra nitidis glabris valde revolutis integris, caule pumilo, capitulo minore, flosculis radiantibus triplo brevioribus. Caeterum fert etiam fibras radicales filiformes et napuliformi-incrassatas.

***Crepis orbelica* sp. n.**

Perennis, radice fusiformi, foliis herbaceis utrinque *glandulis sessilibus et brevissime pedicellatis dense obsitis*, radicalibus obovato-oblongis in petiolum brevem attenuatis retrorsum acute inciso-dentatis, caulinis subintegris *e basi profunde cordato-amplexicauli et auriculis angustis instructa late ovatis vel ovato-oblongis* obtusis vel superioribus subacutis, caule crasso sulcato pilis glanduliferis brevibus vestito a medio in ramos crassos paucos strictos aphyllis foliis fulcratos monocephalos diviso, pedunculis apice vix manifeste incrassatis, capitulis mediocribus, involucri phyllis lineari-elongatis breviter acuminatis virenti-nigris *glandulis densissimis sessilibus paucisque longius pedicellatis viscidis*, externis perpauca internis triplo brevioribus, acheniis apice attenuatis pallidis sub 20 costatis costis laevibus, pappo albo involucrum vix superanti. Floret julio, augusto.

Caulis 40—80 cm, folia inferiora 14—18 cm × 5—7 cm, caulina 6—7 cm × 3—4 cm, involucrum 13 mm × 10 mm.

In graminosis subalpinis m. Rilo prope caenobium legi a. 1889.

Diu dubius haesi, utrum haec *Crepis* cum *C. grandiflora* Tsch. contrahenda an potius sub nova specie describenda sit. A *C. grandiflora* dignoscitur imprimis indumento viscido. *C. grandiflora* nempe (comparo specimina bulgarica, serbica, helvetica, bohemica) glandulis et setis vel pilis e glandulosis vestita est, in nostra specie desunt autem omnino setae e glandulosae. Folia *C. grandiflorae* caulina sunt lanceolata apice attenuato-acuta basique hastato-auriculata, in *C. orbelica* ovato-oblonga basi non hastata sed auriculis patentibus den-

tibus magnis similibus aucta vel superiora omnino auriculis destituta. Phylla involucri nostrae speciei videntur pauciora praesertim externa perpauca et brevia. *C. Djimilensis* C. K. e Ponto Lazico potest nimis affinis esse, sed non habeo hujus specimina, quae comparem.

Crepis balcanica sp. n.

Perennis, radice fusiformi verticali, caule foliisque aspero-hirtis omnino eglandulosis, foliis radicalibus rosulatis oblongo-linearibus acutis acute runcinato-dentatis basi modice attenuatis sessilibus, caule erecto anguloso omnino aphylo vel foliis 1—2nis valde diminutis lineari-lanceolatis acuminatis subintegrifoliis basi sagittata sessilibus ob- sito superne in ramos 2—3nos arcuato-strictos tenues longos monocephalos bracteis linearibus fulcratos diviso, pedunculis apice non in- crassatis aphyllis, capitulis subminoribus, involucri phyllis lineari-ob- longis subobtusis integris praeter tomentum album parcum setis pi- lisque longis nigris eglandulosis dense obsitis, externis paucis multo brevioribus, acheniis apice attenuatis pallidis laevibus, pappo albo involucrum vix excedenti. Floret Augusto.

Caulis 15—24 cm, folia radicalia 6—7 cm \times 6—10 mm, invo- lucrum 1 cm \times 8 mm.

In pratis alpinis m. Vitoša legi a. 1889.

Similis *C. grandiflorae* Tsch., sed indumento, statura graciliore, foliis, capitulis minoribus ab ea diversa.

Campanula velutina sp. n.

Perennis, caule e collo crasso squamoso ascendenti-erecto soli- tario folioso crasso a basi pyramidaliter ramoso ramisque molliter longe cano-tomentoso, ramis simplicibus tenuibus flexuosis horizon- talibus vel deflexis foliosis 1—3 floris, foliis pube mollissima densis- sima supra sericeo-velutina subtus magis cana vestitis, rosularibus longe petiolatis e basi profunde reniformi oblongo-ovatis obtusis in- aequaliter crenatis, caulinis longe petiolatis cordato-ovatis breviter acutis crenatis, summis et rameis diminutis ovatis vel lanceolatis acutis in petiolum late alatum abruptim attenuatis, floribus magnis, calycis molliter et dense cano-tomentosi laciniis sagittatis lobo medio in- tegro late lanceolato tenuiter acuminato tubo calycino 3plo longiore, lobis lateralibus appendicem longam acutam formantibus, corollae pallide luteae ad nervos et margines hirtellae laciniis tubo longe campanulato 2plo brevioribus. Floret Augusto.